Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mane mane holocaustum sempiternum.
Ubi nos legimus inmaculatum. et in hebraico scriptum est thamim. aquila perfectum interpretatus est. et in lxx. manaa. theodocio sacrificium. aquila et symmachus donum transtulerunt.
Leo autem quod nos diximus spontaneum. lxx. omolonan. roe confessionem verterunt. et pro principe ducem. hoc enim nasi significat.
Adhuc autem sermo de principe est. de quo esayas loquitur. Ecce testimonium in gentibus dedi eum. principem ac preceptorem in gentibus.
Et ezechiel. et ego dominus ero eis in deum. et david princeps in medio eorum. Cum ergo iste princeps fecerit spontaneum holocaustum. et dixerit spontanea sive voluntaria oris mei beneplacita fac domine. aperietur ei porta que respicit ad orientem. Spontaneum autem est holocaustum ut totum offerat deo et pacifica voluntaria. quod in prioribus non invenitur. Scriptum est enim. et facient sacerdotes holocaustum eius et pacifica eius. et de spontaneis ac voluntariis quibus nunc dicitur omnino reticetur. ut non necessitate faciat sed voluntate post holocaustum offerat pacifica et reconcilietur deo. Unde et virginitas maior est nuptiis. quia non exigitur nec redditur. sed offertur. pro pacificis. que hebraice dicuntur selamim. lxx. salutaria interpretantur. ut ipsa reconciliatio pacificorum salus offerentis sit. Cum ergo hoc fecerit princeps. aperietur ei porta. vel iuxta lxx. aperietur sibi porta que respicit ad orientem. illam videlicet portam de qua scriptum est. Hec porta domini. iusti intrabunt per eam. et unde oritur sol iusticie. Et faciet inquit holocaustum suum et pacifica sua. de quibus nunc diximus. Faciet autem quia spontaneum sacrificium est et non alii pro eo faciet sacerdotes. videlicet sicut fieri solet in die sabbati. Ergo omni tempore holocaustum et pacificum. quod offertur voluntarie reseratam habet portam domini. nec observat sabbatum. sed omnis dies ei reputantur in requiem. Denique postquam obtulerit holocaustum et pacifica statim egreditur et clauditur postea ianua. sive clauditur ianua. ut servetur principi privilegium suum. nec sacrificia eius populo misceantur. Et quia generaliter dixerat spontaneum holocaustum et pacifica voluntaria domino. nec apposuerat taurum sive vitulum. arietem vel ovem. hyrcumque pro peccato. docet quid sit ipsum holocaustum. et agnum inquit anniculum inmaculatum faciet holocaustum. non certis diebus sed cottidie. nec qualibet hora alia. sed mane mane faciet illum per singula videlicet mane. quando orto sole. lucis exordium est. De quo mane david loquitur in psalmo. Mane exaudies vocem meam. mane assistam tibi et videbo. Et in alio loco. ad vesperum demorabitur fletus. et ad matutinum leticia. Et iterum. deus deus meus ad te de luce vigilo. Quis sit autem iste agnus inmaculatus sive perfectus et anniculus. esayas plenius docet dicens. Sicut ovis ad victimam ductus est. et sicut agnus in conspectu tondentis se sine voce. et non aperiens os suum.
Et hieremias. Ego autem sicut agnus innocens ductus ad victimam. et non cognovi. Et iohannes baptista. Ecce agnus dei. qui tollit peccata mundi. Iste est agnus qui immolatur in egypto. et de cuius sanguine armantur postes fidei. et exterminator excluditur. Anniculus autem. quia predicavit annum domini acceptabilem diem retributionis. Nec miretur lec-